

nis ac sapientiae principatu contendebant, ita ex usu & consuetudine sublata, ut earum vix umbram ac vestigium retineamus. Ut igitur Virgilius (ξ.) ait, *minora in dies produci hominum corpora, quam antiquis temporibus fuerint, quod & tanto antè Homerus (ο.) dixerat: ita videmus eruditionem hominum quotidie decrescere, ut illi bodie ordines ducant, qui olim vix in gregariis militibus locum obtinere potuissent.* Et iterum (ϖ) *Hodie, si verum amarus, omnis propè usus eloquentiae, praeterquam in scribendis epistolis, ita de medio sublatus est, ut nec vota nec vestigium appareat.* Dominabatur olim in iudiciis, regnabat in consultationibus, vincebat ferè ea caussa, quae eloquentiorem patronum nacta erat.

*Sed haec prius fuere: nunc recondita
(ut de phaeolo ait Catullus)*

Senet quiete - - -

Judicia, Romae saltem, ita exercentur, ut in his nullus planè locus eloquentiae sit. In deliberationibus de magnis & seriis rebus, quid quisq; dicat, non quàm ornatè dicat, attenditur. Rectè omnino neq; enim negari potest, sed tamen isto modo magna disertis hominibus subtracta materia est. Eloquentia quasi etatis beneficio immunitatem consecuta, iussa est oblectare se in his nostris scholasticis ac pulverulentis disputationibus, in sacris concionibus, quae ad populum habentur, & interdum in gratulationibus, quae fiunt ad principes, aut in eorum funeribus exornandis.

Vos verò, Patroni & Fautores honoratissimi, quando Nostros auditis, ne pigeat memorià repetere illud summi Oratoris, (ε) *Quod si quem aut natura sua, aut illa praestantis ingenij vis fortè deficiet, aut minùs instructus erit magnorum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere.* Quod deinde ita extulit Val. Maximus, (σ) *Excel-*

(ξ) lib. XII. Aeneid. v. 900. cui succinit Juvenalis sat. XV. v. 70. *Terra malos homines nunc educat atq; pusillos.* (ο) Iliad. c. v. 304. (ϖ) Orat. seq. Volum. eigd. (ε) Cicero Oratore ad M. Brutum (σ) lib. IV. cap. 6.